



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De filio prodigo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

III. PUNCTUM.

Sicut ergo ex necessitate Virtus, ita ex Virtute
Necessitas; Cum non aliter efficacius per-
 suadeatur ex necessitate virtus exercenda,
 quam ne alioquin Deo gloria, & tibi meri-
 tum pereat; periret autem sepius, nisi ex
 virtute esset necessitas, quo sensu dictum est;
 ac proinde utrumque ex æquo est ample-
 ctendum. *Necessitate subditi estote*, inquit
 Apostolus, non solum propter iram, sed etiam
 propter Conscientiam, Id est, non solum pro-
 pter metum alicujus impendentis pœnæ, quæ
 non semper vobis impendet, nec proinde vos
 semper urget ad virtutem: sed propter ipsam,
 quæ in vobis est, conscientiam, & quæ vos
 semper sollicitos ac paratos habet ad omne
 opus bonum, sicque bonum facientes non de-
 ficiamus: tempore enim suo metemus non defi-
 cientes.

Itane te sentis premi ad bonum? Itane te si-
 nis urgeri ad virtutem ex his quibuscunque
 casibus, qui tibi vel invito accidunt semper
 exercendam? Quam sæpe deficiis, quam pa-
 rum proficis, quam perperam omnia capis,
 volendo, quod non habes, & nolendo, quod
 offertur. Audi Epictetum, audi hominem
 Ethnicum: *Ne postules ea, quæ sunt, ita fieri ut* *In Enchie.*
tu vis: sed si sapias, ita velis fieri ut sunt, sic omnia
secunda tibi accident. Nihil iste de Deo, nihil
 de Cælo & Virtutis merito loquitur, & ta-
 men ita loquitur; Tu verò qui credis Deum
 præsidere istis omnibus adversis casibus; tu
 qui probè scis Cælo repositam esse virtutis
 mercedem; & qui tandem non ignoras,
 quantum cælestia sint humanis præferenda:
 tu nec tamen ut Ethnicus sapias & vivis! Ah
 qualis injuria Christo! quale probrum Chri-
 stiano!

Adverte diligentius: & omne, quod tibi im-
 plicitum fuerit, accipe & in dolore sustine. *Eccles. 2.*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium de filio prodigo. Luc. 15.

Quæ multa possent inde produci Verita-
 tes, ad hanc potissimum referuntur.

Qui se à Christo subducit, ut fœlicius vivat,

vivit miserius ipso misero prodigo.

*In 4. parte, Feria 5. hebdomada 24. Vbi de li-
 bertate & servitute Christi: necnon expressè de
 hac parabola.*

Q 2

DOMI-